

Quae verba interpretatu difficillima postremo prioris seculi anno jura Baccalaurei theologiae in academia Vitebergensi nobis acquisituri explicanda elegimus, ea nunc decem lustris hujus seculi exactis Ordini Theologorum Summe Venerabili academiae Halensis cum Vitebergensi consociatae pro gradu Doctoris scripturae sacrae nobis honoris caussa delato maximas agentes gratias retractanda sumimus, nec tamen sumus in senectute revocaturi, quae in juventute ad ea expedienda attulimus.<sup>1)</sup> Nam negare non possumus, sententiam verborum hodie nobis non aliam esse videri, quam olim videbatur. Intelleximus enim verba versus 20. *ὁ μεσίτης ἐνός οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ θεὸς εἰς ἔστιν* ita, ut, quia verba *ἐν χειρὶ μεσίτου* praecedunt, nullum alium intercessorem indicari putaremus, nisi ante commemoratum, ad quem illud *ὁ δὲ* manifesto nos reducit. Qui enunciationem universalem, quae quemque interpretem non esse unius sc. partis, sed duarum, eloquatur, in illis verbis inveniunt, articulum *ὁ δὲ* negligunt, atque interpretantur, quasi scriptum sit: *μεσίτης δὲ* vel certe: *ὁ μεσίτης δὲ*, ut Jo. 10, 12. *ὁ μισθωτὸς δὲ*<sup>2)</sup>. Interventor antea commemoratus non potest alius esse, nisi Moses<sup>3)</sup>. Nam qui v. 19. Christum intelligere malunt,

1) Reperitur nostra explicatio loci Gal. III. 20. critica, historica et exegetica, emendata atque aucta in David. Jul. Pottii Syllogon commentationum theol. Vol. V. pag. 141 — 274. recepta.

2) De qua re olim plura diximus. Cfr. Pottii Sylloge pag. 178.

3) Hunc non esse intelligendum, quia non legatur *ἦν*, sed *ἔστι*, putat Matthias in scriptione a nobis p. 12. not. 21. laudata p. 13., quoniam antea dictum sit *προσέτεθῆ* (Schottii editio N. T. habet *ἐτέθῆ*). Nec tamen hoc rem efficere potest.

partim repugnant constanter repetitae narrationi, legem Mosaicam per Mosem, non per Messiam, promulgatam esse, partim si lex Mosaica per Christum lata esset, multo minus abroganda fuisset. Nam quod ex verbis: *ἐν χειρὶ μεσίτων* nonnulli patere putant, Jesum quippe interpretem legis Mosaicæ, habuisse jus illam mutandi et rescindendi, id a verbis Pauli alienum est, qui non Christo potestatem legis Mosaicæ abrogandæ tribuit, quia per eum lata sit, sed potius deo, qui unus omnium sit. Ergo nos, ut olim, ita nunc versum 20. ad Mosem pertinere persuasum habemus. Qui quidem dicitur non *ἑνός* sc. *πράγματος*, non unius rei vel instituti, quod unum esset, nec per aliud in ejus locum succedens abrogari posset, esse interpret<sup>4)</sup>. Sic apparet, cur alius interpret Christus 1. Timoth. 2, 5. appelletur *εἰς μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων*, nimirum quoniam Moses tunc in eo erat, ut lege Mosaica abolita desineret esse interventor dei et hominum, cujus vices Christus nunc suscepit<sup>5)</sup>, qui aliam religionem condere potuit propterea, quod prior non fuerat, ut Judei putabant, una, unica, ergo immutabilis et in æternum duratura. Nec tamen, ait, deus alius factus est. Deus unus est, ergo nunquam alius in ejus locum succedit. Etiam si varia instituat ad salutem hominum, ipse tamen unus et idem est. Sic etiam lex non repugnat promissionibus, quæ per Christum implentur. Nam rata tantum erat, donec Christus veniret.

Huic interpretationi etiam aliam subjunximus, quæ nobis non plane improbabilis visa est, quæ quidem ita se habet<sup>6)</sup>: interpret vero unius jam nullus est. Deus autem unus est. Quæ admissa *ἑνός* ad deum unum referendum esset, ad quem permulti interpretes referunt, et genitivus non ad rem componendam et conciliandam, sed ad eum, cui serviat interventor, cujus negotium procuret, pertineret, ita, ut his verbis hoc insit: Moses, intercessor unius, i. e. dei, nullus est, i. e. omni auctoritate jam caret, at deus unus etiam

Nam *προσέτιθη* ad rem plane absolutam referendum erat, *ἔστι* autem ad legem, quam nondum abrogatam, sed abrogandam esse dicit, per quam igitur ejus *μεσίτης* adhuc efficax et actuosus cogitari potuit. Respondet etiam alteri *ἔστιν* de deo adhibito.

4) Vid. Pottii Sylloge pag. 260. sqq.

5) Sunt, qui putent, Christum sensu eminente *μεσίτην* dici et ita unum esse prae ceteris, sub quo alii *μεσῖται* cogitari recte queant. Sic etiam *εἰς Θεός* 1. Tim. 2, 5. et *εἰς κύριος* Ephes. 4, 5. dicitur, quamquam multi sunt dii, multi domini Paulo teste 1. Cor. 8, 5.

6) Vid. Pottii Sylloge pag. 265. sqq.

nunc est. *ἑστίν* ergo non est habendum pro copula, quam grammatici dicunt, sed significat idem, quod: exstat, ita ut auctor hoc velit: Moses, licet unius dei interpres, tamen jam nullus est, at deus unus etiam nunc exstat, unus idemque manet, vel: deus manet unus, non alii cedit. Consentit haec interpretatio imprimis cum loco 1. Timoth. 2, 5., ubi, quia unus intercessor Christus esse dicitur, indicari videtur, alium, Mosem, jam non amplius esse, privatum quippe una cum instituto, quod per eum factum erat, sua auctoritate. Scribendum tunc esset: *εἷς ἔστιν*, ut reddas: unus deus exstat. Sed quum *εἷς* secundum hanc explicationem non nisi ex sequente *εἷς* intelligi possit, quod aliquid offensionis habet, priorem praefendam et omnino veram esse censemus.

Quibus ita repetitis, ut olim fecimus, quasdam interpretationes aliorum, easque post nostram commentationem evulgatas, quae nobis innotuerunt, examinabimus. Quae propter auctorem suum et, ut J. F. Röhrius<sup>7)</sup> dicit, propter simplicitatem, qua commendatur, multorum plausum tulit, ea est Godofredi Hermannii, quem principem philologorum habent, et ipsi aliquando magistrum coluimus.<sup>8)</sup> Existimat, si verba, quae vexant interpretes, ab aliquo profano scriptore posita essent, nemini cuiquam in mentem venturum fuisse, dubitari posse de eorum sententia, quippe quae sint adeo simplicia, adeo plana, adeo ad vim ratiocinationis necessaria. Transfert igitur in latinum sermonem ita: interventor autem non est unius, deus autem unus est, et verborum singulorum ac totius effati sententiam hanc esse arbitratur: interventor ubi est, duos minimum oportet esse, inter quos ille interveniat. Deus autem unus est. Ergo apud deum cogitari non potest interventor; esset enim is, qui intercederet inter deum et deum, quod absurdum esse dicit. Paulum putat voluisse ostendere, legem Mosis, quae nihil cum promissione Abrahamo data (Gal. 3, 16.) neque cum praesente effectione illius promissionis commune haberet, duntaxat

7) Vid. ejus Kritische Prediger-Bibliothek, Vol. XIII. pag. 1054., „der Sinn tritt auf diese Weise ganz einfach in's rechte Licht.“ Aliter Fr. Jos. Grulichius (Annalen der gesammten Theologie und christlichen Kirche, ed. Eisenschmid 1833. pag. 106 — 212.) judicat, Hermannum nimium ausum esse in explicandis Pauli sententiis et audacia aliquoties peccasse. Etiam Usterius in commentario, quo epistolam ad Galatas interpretatus est, Turici 1833. de Hermannii explicatione sententiam fert.

8) Cfr. ejus Opuscula Vol. V. pag. 118. sqq., ubi de Pauli epistolae ad Galatas tribus primis capitibus dissertatio invenitur.



interim valuisse, jam autem non amplius valere, cujus rei rationem reddit hanc, quod superaddita sit (*προστέθει*), nec pertineat ad testamentum, cui non liceat quidquam ab alio addi, deinde quod non ab ipso deo condita et data sit, sed disposita per angelos allataque manu interventoris, cui locus non sit apud deum, qui unus sit, utpote testator, cujus unius ex voluntate nullo intercedente hereditatem capiat heres. Sed quomodo his Paulus probaverit, legem non amplius valere, quia per interventorem lata sit, qui dei esse non possit, quoniam deus unus sit, non clarum est. Etenim si vel maxime deus unus, et interventor non unius, sed minime duarum partium est, tamen non hoc efficitur, interventorem non posse esse inter deum et homines, licet absurdum esset statuere interventorem, qui intercedat inter deum et deum, quod jure dixit Hermannus. Plurimi, qui priora ita intelligunt, ut Hermannus, interpretem esse duarum partium, verba: deus unus est, sic interpretantur: deus unus duorum paciscentium est. Alteram censent esse populum, neque existimant negari, dei, unius quippe, interpretem esse posse. Sic existit simplex explicatio, sed ea, quae sententiam proferat, veram quidem, maxime tamen jejunam et frigidam. Nam re vera non inest nisi, quod omnes sciunt, intercessorem intercedere inter duos, quorum deus unus sit. Neque haec interpretatio probat, dei intercessorem nullum esse posse. Nam etiamsi sit unus, unitas tamen non impedit, quominus intercessorem habere possit, si cum alio paciscitur. Omnes enim singuli, qui reconciliantur per interventorem, uni sunt, non plures, unus cum uno transigit. Quodsi Hermannus intercessoris vocabulum ita intellexit, ut opus sit, eum a duabus partibus esse electum ita, ut is intercessor dici non possit, quem deus unus sine altera parte, ergo solus elegerit: opponimus, quod Jesus *μεσίτης διαθήκης καίτοιτος, καινης et νέας*, atque *εἰς μεσίτης* (ad Ebr. 8., 6. 9., 15. 12., 24. 1. Tim. 2, 5.) dicitur, ex quo ipse concedit (pag. 131.) patere, qui voluntatis divinae declarationem a deo ad homines perferat, *μεσίτην* appellari. Ergo non opus est, ut a duabus partibus dissidentibus electus sit. Manifestum igitur est, interventorem posse dei esse, quo deus utatur ad suam voluntatem alteri parti declarandam. Sic verbis v. 20. non demonstratur, rem per interventorem promulgatam non posse divinam originem habere. Quae quum ita sint, et praeterea *ὁ δὲ μεσίτης* non bene in universum explicetur, atque accedat, ut si de eo dicendum erat, quod deus in promissione danda unus fuisset, *ἦν* pro *ἔστι* legendum esset, nobis quidem sagacissimi Hermanni interpretatio satisfacere non potest.

Antequam Hermannus hanc explicationem anno 1832. evulgavit, jam anno 1828. Godofr. Christ. Frid. Lückius, Doctor et Professor theol. Gottingensis tribus recentissimi temporis interpretationibus subtiliter examinatis et reprobatis, quum ipse expositionem aptam et omnibus numeris absolutam reperire non posset, violentia quadam nodum non solvere, sed discindere suavit, ita quidem, ut nullius codicis auctoritate innitens totum locum interpolatione interpositum ideoque ejiciendum putaret.<sup>9)</sup> Quod quidem pluribus bilem commovit, eosque ad novam explicationem proferendam excitavit. Commemorare liceat ex his duos, qui hac violentia reprehensa Lückium docere volebant, ea non opus esse, J. G. Tiarksium et G. F. Rinckium. Prior Jo. Gerh. Tiarksius curator sacrorum coetus reformati germanici Londini scripsit d. XXVII. Maji 1831. Lückio epistolam, in qua hujus sententia improbatam suam de hoc loco enucleavit, quam tamen Lückius non magis probandam censebat, quam reliquorum interpretum. Ita factum est, praecipue quum Lückius ei rescripsisset, interpretationem, quam proposuerit, ab omnibus prioribus dicere, ut suam interpretationem, quam novam esse opinabatur, cum doctis hominibus per ephemerides communicaret.<sup>10)</sup> Statuit vero, Paulum hoc ostendere velle, gentiles Christianam religionem recipere posse, nec esse prius Judaeorum numero adscribendos vel praeceptis Judaicae religionis adstringendos. Christum intelligit *μεσίτην*, quem arbitratur non unius sc. *σπέριματος*, unius gentis, Judaicae, fuisse, sed omnium omnino gentium, quia deus unus, ergo omnium deus sit. Sed dubitari non potest, quin Paulus declarare voluerit, quomodo salva unitate dei, salva una dei natura et immutabilitate Christiana religio in locum Judaicae succedere queat. Neque Tiarksius primus, ut putat, hanc explicationem excogitavit. Namque eam prolatam esse a Thoma Aquinate, Gomaro et Webero, jam ante haec decem lustra demonstravimus.<sup>11)</sup> Neque id ei proprium est, quod Christum *μεσίτην* intelligit, id quod ex locis

9) Cfr. Theologische Studien und Kritiken, herausg. von Ullmann und Umbreit, Hamburgi 1828. Vol. I. Fasc. I. pag. 83 — 109. Censor commentationis Lückii (Theol. Literaturblatt zur allgem. Kirchenzeitung 1828. Vol. II. No. 101. pag. 837.) ita verba exponit: interpres inter duos paciscentes non potest solus ratum aliquid facere, Moses igitur non potuit aliquid ratum facere contra dei promissionem, qui alter paciscentium erat.

10) Cfr. Allgemeine Kirchenzeitung anni 1835. Vol. I. No. 17. 18.

11) Cfr. Pottii Sylloge pag. 161. 165. 171.

Gen. 16., 7. sqq. 22., 11. 48., 16. Exod. 3., 2. 14., 19. Num. 22., 22. sqq. Jos. 5., 13. 14. 15. Judic. 2., 1. 6., 11. 12. 13., 9. probare studet, in quibus angelus dei commemoratur, quem manifesto Christum esse existimat, quippe per quem constanti doctrina novi foederis omnia creata et effecta a deo sint, ex quo pateat, legem Mosaicam etiam per Christum latam esse. Quod quidem, quum libri sacri hujus rei mentionem non faciant, nobis inter conjecturas inanes referendum esse videtur. Nam dominus ipse יהוה dicitur Exod. cap. 19. et 20. legem promulgasse, minime autem מלאך יהוה vel מלאך האלהים, qui in pluribus laudatorum locorum commemoratur, vel שר-צבא-יהוה, ut Jos. 5., 14. Sed ne hanc quidem conjecturam ante Tiarksium inauditam fuisse, ex nostra commentatione<sup>12)</sup> apertum est. Weberus enim δι' ἀγγέλων v. 19. interpretandum esse statuit numero singulari, et explicandum per verba, quae in appositione sint posita: ἐν χειρὶ μεσίτου, ita quidem: ab angelo, ab interprete deum inter et homines, quem angelum putat esse non creatum, nimirum Christum. Quodsi Tiarksius negat, Mosem in V. et N. F. μεσίτην dici, hoc refutatur eo, quod ipse dicit Deut. 5., 5. אָנֹכִי עִמָּךְ בֵּין-יְהוָה וּבֵינֵיכֶם, ego steti inter Iovam et inter vos, quibus verbis sibi vindicat nomen μεσίτου. Est enim μεσίτης secundum Etymologicum a Schleusnero in Lexic. in LXX. III. pag. 529. laudatum ὁ μεταξὺ δύο ὧν καὶ σημαίνει τὸν μεσάζοντα, et quae in libro Jobi 9., 33. leguntur, לֹא יֵשׁ-בֵּינֵינוּ מוֹכִיחַ, ea LXX interpretes ita reddunt: εἴθε ἦν ὁ μεσίτης ἡμῶν καὶ ἐλέγχων. Neque, Mosem non posse μεσίτην nuncupari, ex eo efficitur, quod legitur Deut. 4., 13. et 5., 19., וַיִּכְתְּבֶם עַל-שְׁנֵי לְחֹת אֲבָנִים בְּאֲצָבַע אֱלֹהִים, et inscripsit (sc. deus) ea (sc. praecepta) duabus tabulis lapideis, et Mosi dedit, et quod illis tabulis literae inscriptae esse dicuntur באצבע אלהים, digito dei Exod. 31., 18. Haec enim verba nequaquam negant, Mosem praecepta dei ad populum detulisse, et deum, licet ipse praecepta scripserit, interventore, qui populo ea traderet, usum esse. Quod eum fecisse, elucet ex eo, quod populus deum ipsum ejusque conspectum maxime timuit. Atque imprimis hoc accedit, quod Exod. 34., 27. Moses jussus esse dicitur illa praecepta literis mandare, ut quae deus ipse prius scripsisse narratur, sua manu restitueret, quum tabulae priores fractae essent. Sic dubium esse non potest,

12) Cfr. Potii Sylloge pag. 171.



quin Moses interventor appellari queat, et jure a Philone<sup>13)</sup> *ιδιάζων μόνος μό-  
νη* sc. deo, sine arbitro cum deo versans, et *μεσίτης καὶ διαιτητής*, interpres  
et arbiter, appellatus sit. Quod Paulus v. 19. dicit, legem datam esse ut valeret,  
donec veniret *σπέσμα, ᾧ ἐπήγγελται*, id putat Tiarksius a plurimis interpreti-  
bus Christum intelligentibus perperam exponi, quia Christo nihil promissum  
sit, et ᾧ ab iis cum Rosenmüllero reddi: cujus respectu, jure improbat. Nec  
tamen eo sententia ipsa refellitur, legem datam esse ad Christi usque tempora  
valituram. Nam semen Abrahami, cui promissio facta est, non quidem  
Christus, sed tamen posteritas Abrahami Christiana est. Sunt ejus posteri  
Christianam religionem amplectentes.

Alius, qui Lückii audaciam interpretatione clara et plana repudiare co-  
natus est, erat Guil. F. Rinckius, sacrorum curator Badensis, qui locum  
ita explicat:<sup>14)</sup> intercessoris notio duas partes inter se conciliandas postulat.  
Deus vero est in aeternum unus. Putat sibi opponi interventorem, auctorem  
legis, quem recte intelligit Mosem, et deum, auctorem promissionis per Christum  
impletae. Quantum praestet promissio vel evangelium legi, ex ipso nomine  
intercessoris patere censet (v. 20.), quod ponat duas partes dissidentes, dei  
et hominum, quia nisi esset dissidium, non opus esset intercessione, in deo vero,  
auctore promissionis, perfectam esse unitatem, perfectum consensum. Sequi  
igitur arbitratur, ut homines tantum per deum ejusque filium unigenitum ad  
unitatem cum eo, ad divinam communitatem extolli queant, quod per legem  
feri nequeat, quippe quae dissidium augeat et manifestet. Secundum versum  
19. lex propter delicta promissioni addita est, et v. 20. ex eo, quod per inter-  
cessorem promulgata est, apparere existimat dissidium. V. 21. doceri statuit,  
legem non pugnare cum promissione,<sup>15)</sup> sed non posse homines beatos reddere  
et ad unitatem cum deo reducere, quod tantum per fidem Jesu Christo habitam

13) De vita Mosis lib. III. pag. 677. et 678. in Operibus Philonis, edit. Turnebi  
et Hoeschelii, Francofurti 1691.

14) Cfr. Theolog. Studien und Kritiken, Hamburgi 1834. Fasc. 2. pag. 309—312.

15) Offensioni erat nonnullis, quod v. 21. pluralis legitur, quum tantum una  
promissio fuerit, quae numero singulari commemoratur v. 14. 17. 18. 22. Sed nisi  
velis v. 21. promissiones dei in universum, non eam nominatim, quae Abrahamo  
facta erat, intelligere, potes cum S. V. Tholuckio facere, qui sagacissime con-  
jecit, Paulum plurali promissionem saepius repetitam indicare voluisse. (Vid. Tho-  
luckii: Das A. T. im N. T. 1836. pag. 52.)

fiat, quae promissioni adhaereat. Hic quae de versu 20. dicuntur non recte disputata esse videntur. Nam licet verum sit, interpretem unius partis, quae secum ipsa dissidere nequeat, non esse, tamen hoc non probat, per interventorem dissidentes partes reconciliari vel ad unitatem reduci non posse, quippe quod ipsum ejus negotium est.

Idem Rinckius dijudicat Car. Aug. Theophil. Keilii<sup>16)</sup>, G. B. Wineri<sup>17)</sup> et H. E. Schmiederi<sup>18)</sup> explicationes. Secundum primam quidem res ita se habet: mediator, is, cui ullum aliquod inter duas pluresve partes negotium est peragendum, non est unius, sed duos saltem requirit, inter quos medius sit, Deus autem, qui promissionem Abrahamo dedit, unus aut solus fuit,<sup>19)</sup> quod ita interpretandum sit: non habuit adiutorem, quo uteretur, vel ex quo penderet, sed liber ab aliis et solus promissionem fecit, quia haec non est pactum, sed libera gratia (*χάρις*). Deus in foedere cum Abrahamo pacto solus promissis obligatus est, neque invicem ab Abrahamo promissa accepit. Ergo Abrahami Christique foedera non pendent ab hominis obedientia. Quod quidem cum librorum sacrorum doctrina non conspirat. Licet enim Abrahamo facta promissio et salus a Christo nobis parta mera dei gratia nitatur, tamen in foedere Abrahamitico pariter atque in Christiano est mutua sponsio, ut intelligitur ex locis Gen. 18., 18. 19. et Gal. 3., 6 — 14. et 22. coll. cap. 2., 16. 17. Fides deo data atque obedientia ei praestita sunt conditiones salutis promissae. Ergo deus non solus promissis obligatus erat<sup>20)</sup>. Deinde, quo a Rinckio Keilii

16) Vid. Keilii Programmata de loco Gal. III. 20. Lips. 1809 — 1813. P. I. — VII. repet. in Keilii Opusc. ed. Goldhorn, P. I. pag. 226. sqq. et Usteri Entwicklung des Paulinischen Lehrbegriffs pag. 86. seqq.

17) Vid. Pauli ad Gal. epistola. Latine vertit et perpetua annotatione illustravit G. B. Winer, Lips. 1821. pag. 56. 57. et Exsurs. III. pag. 110 — 118. Idem disseruit de loco Gal. III. 20. in: Zeitschrift für wissenschaftl. Theol., quam edidit Solisbaci 1832.

18) Cfr. ejus Nova interpretatio loci Paulini Gal. III. 19. 20., qua memoriam anniversariam inauguratae ante hos CCLXXXIII. annos scholae provincialis Portensis ad. 1. Nov. 1826. pie celebrandam indicit.

19) P. III. pag. 20.

20) Si Paulus hoc maxime urget, per fidem, non per opera legi convenientia homini salutem a deo contingere, imprimis Rom. 3., 28., ubi adeo addit: *χωρίς ἔργων νόμου*, ei contradicere videtur Jacobus 2., 17. 24., qui fidem sine operibus vanam esse



interpretationi recte occurritur, non hoc agit apostolus, ut deum solum, quod si intelligi voluisset, rectius *μόνος* pro *εἷς* scripturus fuisset, dedisse promissionem demonstret, sed deum, qui eam dedit, sua natura unum esse. Quodsi deus solus dictus esset promissionem dedisse, opponendum erat, legem datam esse a pluribus; sed etiam haec a deo data esse narratur in libris sacris, adhibito quidem internuntio. Ceterum haec interpretatio postulat *ἦν* pro: *ἔστιν*. Nam secundum eam Paulus dixit, non, qualis deus sit, sed qualis illo tempore fuerit, quum promissionem daret, quod solus fecisse dicitur.

Winerus *εἷς* interpretatur: *ὁ ἕτερος*, alteruter, et argumentatur, si alteruter deus sit, alterum esse populum Israeliticum, qui igitur lege obstrictus sit. Quod quidem Paulum dixisse arbitratur, ut legis auctoritatem aliquantulum immioutam origine ejus divina Judaeis in memoriam reducenda illustraret et inter eos stabiliret. Sed nec populum Israeliticum lege obligatum esse probandum erat, nec legis auctoritas restituenda, sed potius demonstrandum, legem nunc abrogandam abrogari posse deo nequaquam secum pugnante, quum religio Christiana jam olim promissa nunc per Christum ad homines delata sit. Nec potest sententia, quam Winerus ab apostolo suppressam esse putat, intelligendo a legente addi. Nam si Paulus indicare voluisset, populum legis auctoritati subjectum esse, id non omisurus fuisset, in quo rei cardo vertitur. Accedit, quod si apostolus hoc dixisset, eo probaturus fuisset, legis auctoritatem tantam esse, ut tolli nequeat, quia pactum eo magis ratum habendum est, quo major erat paciscentis auctoritas, qui secundum hanc explicationem ipse deus fuisset. Contra apostoli erat demonstrare, legem jam tollendam esse, quia inferior sit religione Christiana. Neque *εἷς*, nisi bis positum, ut Matth. 24., 40. 41. 27., 38., Jo. 20., 12., ubi etiam praecedit, duos fuisse, idem significare potest, quod: *ὁ ἕτερος*. Certe scribendum fuisset: *ὁ μισοῖτης δυοῖν ἔστι*, pro: *οὐκ ἔστιν ἐνός*.

dicit. At re accuratius considerata repugnantia nulla est. Nam Paulus non negat, fidem veram efficere bene facta, sed, per haec nos mereri salutem a deo promissam, nec Jacobus fidei pretium negat, fidem vero mortuam i. e. vanam esse dicit, nisi bene facta producat. Ergo salus nobis per fidem paratur, quae tamen vera esse non potest, nisi bene facias. Non igitur bene factis homo salutem acquirere potest, nisi iis, quae ex fide oriuntur et fidem perfectam reddunt, Jac. 2., 22. 24. Neuter igitur negat, fidem sine bonis actionibus nihili esse, quod vero Paulus negat, nos mereri per bene facta felicitatem aeternam, minime Jacobus affirmat.

Nec multum ab hac interpretatione recedentem dedit G. W. Matthias, Lycei Fridericiani, quod Casellis floret, magister<sup>21)</sup>, cujus quidem haec est sententia: *μεσίτης* non est unius, sed duorum, quod, quum facile intellectu sit, omissum esse existimat, ergo *μεσίτης* non solum est populi Israelitici, sed etiam alius, qui deus est. Prius putat notum fuisse, posterius autem inculcandum, ut divinam originem legis plane perspectam memoria tenerent. Quorum vero hoc? ut appareret, legem cum promissionibus pugnare non posse, quia deus alter eorum fuisset, inter quos intercessisset *μεσίτης* in promulgatione legis. Sed Paulo id maxime in hac epistola reprehendenti, quod Galatae omissa fide Christo data per legis observationem salutem expectarent, demonstrandum erat, legis auctoritatem non amplius valere, licet divinitus data sit, quum non eo consilio data esset, ut unica (*ἐν*) esset, sed ut alii instituto cederet.

At proprii quid habet interpretatio Henrici Eduardi Schmiederi magna eruditionis copia adornata, qui<sup>22)</sup> locum ita exponit: quivis minister vel multorum est vel unius. Atque *μεσίτης* non est unius, ergo est multorum minister. Qui multorum minister est, ad quod genus mediator pertinet, non est unius. Atqui deus (absolute) unus est: ergo mediator, quum multorum sit, non est dei minister. Pauli igitur verba ita intelligere videtur, ut intercessorem mitti non posse arbitretur, nisi a multis, quorum personam gerat. Is igitur qui legem tulit, gessit personam multorum sc. angelorum, non unius, sc. dei. Itaque lex non data est dei, sed angelorum auctoritate. Mediatorem multorum, non singulorum esse propterea existimat<sup>23)</sup>, quod is sit *μεσίτης*, qui in medium inter duas acies procedat, ut coram omnibus, quorum intersit, rem publicam vel orando vel pugnando agat. Si alii arbitrantur, ut *μεσίτης* locum habeat, opus quidem esse duabus partibus, minime vero quaeque harum partium multos ut complectatur, esse necesse, Schmiederus loco 1. Sam. 17., 4. et 23. adductus quamque partem necessario plures complecti arbitratur, quia ibi Goliath, qui inter Israelitarum et Philistaeorum agmina medius procedit, *אִישׁ - הַבְּנָיִם*, vir medietatis, appellatur. Statuit vero<sup>24)</sup>, per angelos promulgationem legis factam esse, quibus interprete opus fuerit ex ipsorum choris

21) Cfr. Einladungsschrift zu den Prüfungen, Cassel 1849. pag. 14.

22) In commentatione supra pag. 10. not. 18. laudata pag. 15.

23) In commentatione laudata pag. 14.

24) In commentatione sua pag. 11.

prodeunte, qui, quum omnes una loqui non possent, clarius id eloqueretur, quod reliqui signis et portentis ornaverint, quemadmodum quum Christus natus esset, unus fuerat nuntius vel interpres, reliquis angelis rem factam illustrantibus, amplificantibus laudandoque celebrantibus, Luc. 2., 10—14. Existimat igitur, nec Christum nec Mosem esse intelligendum, sed intercessorem in universum, qui necessario sit medius inter multos ab utraque parte, qui multorum gerat personam, atque demonstrat, Judaeis fuisse opinionem, ex mille angelis aliquem esse interpretem, qui hominibus qua lege deo satisfaciant, exponat. Confert verba in libro Jobi 33., 23. מְלֶאכֶת מְלִיץ אֶחָד מִבְּנֵי-אֱלֹהִים לְהַגִּיד לְאָדָם רִשְׁרוּרָם, angelus intercedens pro hominibus apud deum, unus ex millibus, indicaturus homini quod ipsi rectum est, et deinde multorum librorum studio instructus doctrinae de angelo interprete legislationis Sinaiticae originem exponit. Apparet, inquit, ex locis Exod. 19., 19. 20. 21. 20., 18. 19. Deut. 5., 4. 5. Exod. 33., 11., Jovam nullo intercedente Mosem colloquio dignatum esse, sed alii loci Exod. 33., 18—23., 40., 35. docent, eum cum deo colloqui non potuisse; quam repugnantiam ita tollit, ut dicat, Mosem, quod propius ad deum accesserit, quam alii, pro tali habitum esse, qui coram cum deo locutus sit, nec tamen eum re vera sine internuntio cum deo collocutum esse. Sequi igitur, inter deum et Mosem intercessisse aliquem angelum. Probare id studet locis Act. 7., 30. Exod. 3., 2., ubi qui angelus Jova dicitur, v. 4. Jova ipse appellatur, unde non improbable sit, qui Exod. cap. 19. Jova dicatur, eum esse angelum Jovae. Addit, Theodoretum dixisse, Michaelem angelis praefectum fuisse, Chrysostomum autem, per angelum, quem in rubo ardente Moses conspexerit, legem esse datam. Subtiliter exponit opiniones Judaeorum de angelo interventore, atque ostendit, angelum, cujus mentio sit Exod. 3., 2., nomen habere Segansagel, quod interpretantur: perlucidus, ex quo perlucet deus, et deducunt ex זָבֵב, clarus, pellucidus fuit, chald. זָבֵב. Prima litera vocis est ז. Si ejus loco ס substituere liceret, facile a סָבָן, vicarius, deductum, hoc nomen significaret vicarium pellucidum dei, סָבָן זָבֵב יֵאל. Segansagel a Cabbalisticis nuncupatur magister Mosis, sicut magister Adami Rasiel, Semi Jophiel, Abrahami Zidkiel, Jacobi Raphael, Josephi Gabriel, Eliae Malthiel.<sup>25)</sup> Secundum alios magister Mosis nominatus est Me-

25) Vid. Jo. Andr. Eisenmengeri Entdecktes Judenthum tom. II. c. 7. pag. 375. ed. 1700.



atron<sup>26)</sup>, vel etiam Michael. Wetstenius ad Gal. 3., 19. angelum, qui quum Moses oblitus esset praecepta sibi tradita, ei illa in memoriam revocaverit, appellatum esse dicit Jesifjam. Sic quidem Schmiederi interpretatio vocis *μεσίτης* magna eruditione adjuta et commendata valde arridet, sed tamen altius repetita esse videtur, rei que longe accommodatius, proximum, i. e. Mosem intelligere,

26) Multum imprimis versatur Schmiederus (pag. 41. sqq.) in explicando nomine angeli Metatron vel Mitatron, quod aliqui ex latino mediator corruptum esse putabant, quia ei intercessoris officia tribuuntur. In libro Sohar, in quo cabbalistica de hoc angelo doctrina exulta reperitur, nomen Metatron esse dicitur idem, quod nomen Domini, cujus ad effigiem et similitudinem ille creatus sit. Vocibus *מטטרון* et *שרי* eundem significari, ex numero conjicitur, quem literae harum vocum efficiunt: *מ* = 40, *ט* = 9, *ו* = 9, *ר* = 200, *ן* = 6, *י* = 50, (accuratius *י* = 700 et *נ* = 50.) et in altera voce: *ש* = 300, *ר* = 4, *י* = 10. Habes ergo in utraque numerum 314. Dicitur propterea dominus omnium dominantium et rex omnium regum, angelus princeps faciei, legis, sapientiae, fortitudinis, gloriae, templi, regum, fortium, principum, sublimium et excelsorum, potentum et auctoritatum, quae sunt in coelo et in terra. Henoch quoque in coelum sublato a deo datum esse nomen Mitatronis, i. e. scribarum principis, scribit Jonathan Chaldaeus in paraphrasi Genes. 5., 24. Interdum Mitatron cum Schechina, in qua ipsa natura divina habitat, permutatur, cujus minister alias esse dicitur. Duplex igitur erāt Mitatron, alter Schechinae aequalis, alter ea inferior. Inferiorem pro internuntio habet Schmiederus. Qui nomen ex ebraico sermone explicant, alii a *מטר*, pluvia, ut sit Mitatron, qui etiam Mitator vocatur, praefectus pluviae, alii a *נטר*, custodivit, litera *נ* in sequens *ט* mutata, ut sit custos (rerum divinarum), deducunt. Aliis graeca lingua vel latina originem nominis praebebat. Putant, ei proprie inesse notionem nuntii, et verbum factum esse ex *μηνυτής*, *μηνυτήρ* vel *μηνύτωρ*, index, vel adeo ex latino mandatarius. Meyerus Francofurtensis (*Blätter für höhere Wahrheit. Samml. IV. p. 188.*) statuit, nomen Mitatron eum indicare, qui cum deo throno insideat, et corruptum esse ex *μετάθρονος* pro *σύνθρονος*, imperii particeps. Sunt etiam, qui metatoris vocabulum latinum mutatum esse censeant, quod eum significat, qui metitur terminos, ergo cuilibet suam tribuit portionem, alii matronae nomen, in quo inest notio reverentiae debitae. Multa de hac voce ejusque explicatione reperis in libro Eisenmengeri laudato tom. II, pag. 395. 396. Propria et peculiaris nec non admodum ingeniosa est nominis explicatio a Schmiedero (pag. 42. sqq.) proposita. Postquam commemoravit, incertam esse pronuntiationem verbi, suadet legendum esse *מיטטרון* sive *מטטרון*, Mittron sive Mettron, et pluribus argumentis probabile reddere studet, nomen angeli deducendum esse ex persico nomine Mithras,

quam illum angelum, de quo Judaei multa fabulabantur. Neque interpret eo, quod multorum personam gerere dicitur alio inferior est, qui unius personam gerit. Causa cur inferior habendus sit, esset in eo, quod illi multi sunt angeli, hic unus est deus. Praeterea Metatron ille ex opinione Judaeorum talis non erat, qui non posset esse ipsius dei unius interpret. Nec probabile est, angelos, qui legem in ordinem redegerunt, cum interprete, per quem ea data est, ejusdem naturae fuisse, nimirum angelos utrosque. Denique in eo, quod interventor non unius esse dicitur, nullum est indicium, eum esse angelum. Quod erat evidenter dicendum, ut perspicuum esset, legem per angelum datam inferiorem esse promissione, cujus auctor sit deus.

Ducunt quae Schmiederus dixit de Judaeorum opinionibus ad librum Sohar, ex quo praeclara quaedam excerpit doctissimus Frid. Aug. Deofidus Tholuckius<sup>27)</sup>, inter quae sunt, ex quibus conjectare liceat cabbalisticam quandam interpretationem. Legimus ibi de summa natura quae nominetur, nec tamen ea sit, quae omnium summa appelletur. Nam huic non esse secundam quandam, quam interdum consulat, quia sit unica, principium omnium, quae exstant, in qua nihil insit, quod duplex sit. Quodsi haec adhibueris ad verba Pauli interpretanda, *μεσίτης* est secunda illa natura superiori consulens, quae summae naturae ministrat, sed minime omnium summae, cujus nullus est interventor. Hoc tamen probari non potest, quod interpret dei summi omnino esse negatur. Nam multis librorum sacrorum effatis adversatur. Ceterum nobis illa doctrina de summo et de omnium summo deo parum differre videtur ab iis, quae Gnostici docebant de aeone Demiurgo, qui mundum creaverit, et sit deus Judaeorum, nec vero omnium summus, et Graeci de Jove summo deo,

---

quum on Ebraeorum, as Graecorum terminatio sit, qua nomina formentur. Sic radix ei est *מטטר* et *μυθρ*. Confert Plutarchi locum de Isid. et Osir., Operum Lut. Par. 1624. tom. II. p. 369., ubi Zoroastres dicitur alium *Ωρομάζην*, alium *Άρειμάνιον*, illum lumini, hunc tenebris similem dixisse, *μέσον δὲ ἀμφοῖν τὸν Μιθρην εἶναι*, et Persas Mithram nominasse *μεσίτην*, quia docuerit, alteri votorum et gratiae referendae, alteri malorum avertendorum causa munera offerre. Medius igitur erat inter Oromazen et Areimanium natura sua, et intercessor propter officium docendi homines, quomodo mala averruncet et bona petant vel accepta remunerentur.

27) Wichtige Stellen des Rabbinischen Buches Sohar im Text und mit Uebersetzung nebst Anmerkungen, Berolini 1824. pag. 22.

quo tamen *Ειμαρμένη* superior esse videtur<sup>28)</sup>, quamquam Horatius od. I. 12. v. 18. negat, vigere quidquam illi simile aut secundum, nisi velis cum J. S. C. Schweiggero<sup>29)</sup> in illa oda pro Jove, quem vulgo intelligunt, intelligere summum deum anonymum a parentibus, i. e. priscis hominibus, laudibus celebratum.

Propius ad interpretationem Schmiederi accedit ea, quam Jo. Schult-hessius<sup>30)</sup> undecim annis ante cum scripturae sacrae peritis communicaverat, qui locum sic exposuit: ille deus, qui Abrahamo promisit, per eum omnes gentes beatas fore, unus est, i. e. communis universi hominum generis, non singulae gentis rex atque parens. Atqui hic internuntius, per quem lex ab angelis constituta pronuntiabatur, Moses non est unius i. e. communis illius dei, sed angelorum, quibus Judaeorum cura erat, quae archangelo Michaeli maxime adscribitur. Arbitratur igitur, Paulum negare, a deo Israelitis legem datam esse, quod tamen repugnat iis, quae de legis Mosaicae promulgatione narrantur. Lex vero non propterea tollenda erat, quod non esset divinitus data, sed quia non erat aliquid unicum, quod per aliud abrogari nequiret, sicut deus est unicus, in cuius locum alius succedere nequit. Putat vero Schult-hessius, Paulum ipsum non credidisse, legem non a deo datam esse, sed se accommodasse opinioni Judaeorum<sup>31)</sup>.

Fecit cum eo Voigtlaenderus<sup>32)</sup>, qui *διὰ* dicit non esse instrumenti vel ministri, sed auctoris, et angelos pro auctoribus legis Mosaicae habet, ar-

28) Vid. Luciani dialogus *Ζεὺς ἐλεγχόμενος*, et Plato de rep. lib. X. ed. Astii tom. V. pag. 96. sqq. Hic secundum narrationem Eris cujusdam, qui Armenii filius atque ex Pamphylia oriundus, quum mortuus revixisset, quae viderat, exposuit, *Ἀνάγκη*, Necessitas, mater trium Parcarum, quarum Lachesis praeterita, Clotho praesentia, et Atropos futura cantasse dicitur, atque fusus Necessitatis, qui in ejus genibus agitari fertur, singulatim, subtiliter, et diligenter describitur. Cfr. Horat. od. I. 35. v. 17. sqq., ubi Necessitas saeva dicitur.

29) Vid. Archiv für Philologie u. Pädagogik, herausg. v. R. Klotz u. R. Dietsch, Vol. suppl. XVII. I. 1851. pag. 12. sqq.

30) Cfr. Analekten für das Studium der exeget. und systemat. Theologie, herausg. von Keil und Tzschirner, Vol. II. scid. 3. Lips. 1815. pag. 133—152.

31) Vid. ejusdem Theolog. Nachrichten bei seinen Annalen, 1828. pag. 59—76. et Exegetisch theolog. Forschungen, Vol. V. pag. 390. sqq. Communicavit idem epistolam de Godofr. Hermanno enodatore epist. Pauli ad. Gal. cum H. E. G. Paulo, in qua se ab Hermanno discedere exponit, Turici 1835.

32) Vid. Analekten von Rosenmüller und Tzschirner, IV. pag. 139. sqq.



bitrans, Paulum auctoritatem legis eo elevare, quod angelos auctores habeat, nec deum.

Singula verba non aliter, quam alii, sed sententiam Zschuckius, sacrorum curator Ossitiensis, ita exposuit, ut putet, priora a Paulo sibimet ipsi objici: *μεσίτης* ergo videtur non unius, sed multorum, nimirum angelorum, esse, et sibi respondere: nihilominus legem re vera unicus deus tulit<sup>33</sup>).

Priori nostrae interpretationi similis est explicatio E. A. Borgeri<sup>34</sup>), Theolog. Doctoris, qui putat, ad *ένός* supplendum esse *πράγματος*, et intelligit *έπαγγελίαν*, cuius internuntius non, i. e. nullus fuerit. Judaeos statuisse existimat, legem ministrantibus angelis per internuntium latam sustulisse priora instituta atque cum his promissionem, Paulum vero respondere, *μεσίτην* quidem promissionis nullum fuisse, sed eam per legem tolli non potuisse, quia utriusque auctor sit unicus deus. Etsi, inquit, promissio divina non exhibita est ope interpretis, id tamen fidem ei habendam labefactare non potest. Deus enim semper sibi constat. At quomodo *έν*, unum illud *πράγμα*, promissionem indicare queat, non est perspicuum. Miramur vero, quod, dum nobiscum *πράματος* supplet, alienam a nostra exhibet interpretationem, et aliam cum nostra paene consentientem, dum suppleri vult: *νόμου*, hanc quidem: non tantum lex habet intercessorem, interpres non est solius legis Mosaicae, non sola lex Mosaica gloriari potest internuntio, sed Christiana quoque religio suum habet interpretem, unus tamen idemque deus est, qui utrumque, Mosem et Christum, misit<sup>35</sup>). Attamen id nos offendit, quod ita interpretatur, quasi scriptum sit: *ό δέ μεσίτης είς ούκ έστι*. Nam, ut nunc legitur, Paulus

33) Vid. *Biblische Studien in Sachsen*, herausg. von Käuffer. Dresdae 1844. pag. 148 — 177.

34) Vid. ejus *Interpretatio epistolae Pauli ad Galatas*, Lugd. Bat. 1807.

35) Vix alia est interpretatio, quam jam prius C. G. Henslerus, Doct. et Prof. theol. Kiloniensis, secutus est (cfr. ejus *Paulus Brief an die Galater und der erste Brief von Petrus übersetzt*, Lips. 1805.), verba Pauli ita in sermonem patrium transferens: doch ist nicht für dies eine Gesetz nur ein Mittler. Gott aber ist stets derselbe. Quodsi *τό σπέγμα*, *ὃ έπίγγελται* v. 19. reddit: der Nachkomme, auf welchen die Verheissung ging; *ὃ* non recte intellectum esse videtur, quamquam a multis ita probatur, et potius vertendum est: bis auf die Zeit, da die Nachkommenschaft käme, der die Verheissung geworden. Referendum est ad Christianos, quibus, non Christo, promissio facta erat.

non negat, interpretem unicum fuisse, sed rem per eum ad homines delatam unicam fuisse, quia doctrina Christiana etiam per *μεσίτην* cum hominibus communicata sit. Proponit idem tertiam interpretandi rationem, quae eo tantum a prima differt, quod Paulum id velle dicit, legem externo splendore adhibito latam esse, ut peccata coërceret, neque hoc splendore promissionis vim infringi.

Per multis aliorum explicationibus congestis et adeo vita nonnullorum interpretum adjecta verba Pauli Christophorus Christianus Zäunerus ita expedit:<sup>36)</sup> Quum Judaei dicere possent, per interventorem Mosem promissioni, quae Abrahamo data erat, satisfactum esse, Paulus ita iis occurrit: hic *μεσίτης* non erat *ένός* sc. *σπέματος*, i. e. non pertinebat ad illud semen unicum, ergo non erat promissa illa proles v. 16., Deus vero unus est. Nec tamen perspicuum est, quomodo Paulus negare potuerit, eum illius unici prognati interpretem esse, quum potius negandum esset, eum esse prognatum illum unicum, ita forte: *μεσίτης* non erat ille prognatus, non vero: non erat illius prognati sc. intercessor.

Sed quam injuriam Hulsio interpreti a nobis olim commemorato<sup>37)</sup> G. Jac. Lud. Reussius<sup>38)</sup>, sacerorum curator apud Crofdorfienses prope Gissam fecit, ea nobis ab illo repellenda est<sup>39)</sup>. Insimulavit eum vitii grammatici commissi, quod miratur a nullo notatum et reprehensum esse, quia ad *ένός* suppleverit *επαγγελίας*. Sed hoc eum non jure fecisse, clarum est. Nam si Hulsius dicit: Moses fait non unius, gratiae et promissionis, internuntius, manifesto *έν* genere neutro cepit, et per illud unum significari putavit promissionem. Quo vitio, quod se invenisse opinatus est, notato loci sententiam sic exponit: Moses non est interpres unius (sc. *σπέματος*) posteritatis Abrahami (i. e. unice verae), Christianorum nempe. Deus itaque abdicato illo interventore, quem ipse constituerat, alium sibi elegit? id quod ab ejus immutabilitate abhorret. Haec Judaeis obloquentibus Paulum respondere

36) Vid. Historisch-exegetisch-homiletischer Versuch über Gal. 3., 15—21., Norimbergae 1807.

37) Vid. Pottii Sylloge pag. 222.

38) Vid. ejus Animadversiones ad loca sacri codicis difficiliora, Gissae 1817. In Bertholdti commentariis diurnis criticis Vol. IX. pag. 212. et in indice pag. 437. nominatur per errorem Neuss pro Reuss.

39) Defendimus eum jam in libello: Theolog. Nachrichten 1820, pag. 470. 471.

censet, deum nihilominus manere immutabilem sibi que constantem, licet non semper ad consilia sua perficienda uno eodemque interventore utatur.

Qui hanc explicationem in ephemeridibus literariis Jenensibus<sup>40)</sup> dijudicavit, dicit, ad *ἑὸς* supplendum esse: *διαθεμένον*, et ad *εἷς*: *διαθέμενος*. Putat, a Judaeis haec objici, qui hoc velint: lex propter delicta data pertinet tantum ad unam partem paciscentium, quorum interpretes fuit Moses, non vero ad alteram, qui alter deus est, interpretes unius partis non est, et hic unus est deus. Quare ergo hic legem dedit? num voluit promissiones tollere? Absit hoc.

Simili nec tamen eadem ratione ac Reussius verba Pauli intellexit eodem fere tempore Frid. Stendelius<sup>41)</sup>, qui etiam *ἑὸς* putat referendum esse ad posteros Abrahami, ita tamen, ut intelligenda sit posteritas Christiana, *σπέρμα τῶν πιστευόντων*, in qua conjuncti sint Judaei et gentiles, quorum omnium unus sit deus. Ergo Moses tantum erat *μεσίτης* Israelitarum, non conjunctae posteritatis Abrahami. Omnes, Judaei et gentiles (v. 28.) dicuntur v. 26. *υἱὸι θεοῦ*, igitur deus unus omnium est. Cfr. Rom. 3., 29. Idem<sup>42)</sup> v. 16. verba: *ὅς ἐστι Χριστός*, non ad *σπέρμα*, sed ad *ἐπαγγελίαν* referens ita reddit: promissio, i. e. promissus ille est Christus. Nos in hac expositione imprimis hoc offendit, quod *σπέρμα τοῦ Ἀβραάμ* complecti putat gentiles, qui vulgo Abrahami posteritati oppositi sunt.

At unum illud semen, vel unam illam posteritatem Abrahami, cujus internuntius Moses non fuerit, esse Christianos, jam priore seculo Michaelis Weberus, Vitebergensis<sup>43)</sup> existimavit, qui hanc rem nuper denuo Halae Saxorum exposuit sagaciterque pro more suo argumentis adornavit<sup>44)</sup>. V. 8. *ἐν σοὶ* reddit: tecum, quia v. 9. ei substituitur *σὺν τῷ Ἀβραάμ*; v. 16. intelligit promissionem eam, qua fore dicitur, ut terram Cananaeam possideant, non quidem omnia *σπέρματα*, ut Ismaelitae, Edomitae, sed unum *σπέρμα*, Israelitae. V. 16. *ὅς ἐστι Χριστός*, ita interpretatur: gens Israelitica fuit

40) Vid. anni 1818. Vol. IV. No. 174.

41) Cfr. Archiv für die Theologie und ihre neueste Literatur. Herausg. von E. G. Bengel. Tubing. 1816. Vol. I. pag. 124—143.

42) I. I. pag. 130.

43) Vid. Pottii Sylloge pag. 230.

44) Cfr. Paraphrasis capituli III. epistolae ad Galatas. Edidit tresque interpretum cruces removendi periculum fecit M. Weberus, Halae 1833.



quidem populus dei, nunc autem non amplius est, quia in ejus locum successit ecclesia Christiana, coetus Christianorum, qui propter fidei unitatem *ἐν σπέρμα* Abrahami dici mereatur, quod contineat Israelitas *κατὰ πνεῦμα*, quorum interpres non sit Moses, sed Christus. Moses est, inquit, Israelitarum *κατὰ σάρκα*, qui eum colunt, interpres, sed deus idem utrorumque est. Diversum habent haec *σπέρματα* interventorem, sed unum deum. Ita tamen ut locus intelligi queat, multa interponenda esse videntur, et si Paulus de ea dixit promissione, qua terram Cananaeam possessuri erant, non possumus nisi Israelitas intelligere, ita ut scribendum fuisse videatur: *ὁ δὲ μεσότης ἰνός ἐστι* (sc. Israelitarum, neque reliquorum posterorum), *ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστι πάντων*.

Majore autem audacia, quam Lückius, et adeo temeritate quadam Josephus Gödörus, Hungarus<sup>45)</sup>, decem annis ante Lückium versum ita mutare voluerat, ut scriberetur: *τὸ δὲ σπέρμα ἰνός οὐκ ἔστιν*, Paulum in scribendo lapsum esse suspicans, quia hanc epistolam primam tiro in literis scribendis ipse scripsisset, quod multi ex capite sexto v. 11. patere putant, sed sunt, qui quod ibi legitur, tantum de postrema epistolae parte inde a cap. 6. v. 11. intelligant, quam solam sua manu scripserit<sup>46)</sup>. Sententiam vero Pauli putat hanc esse: sed proles illa (sc. Christus) non est sola, deus quippe est alter, h. e. Christus non solus abrogavit legem Mosaicam, sed cum deo sociatus eam sustulit. Quodsi ita intelligendum esset, non potuisset apostolus genitivo *ἰνός* uti, sed opus fuisset nominativo: *ἐν*. Miramur igitur, quod Gödörus non dicit, Pauli calamum iterum lapsum esse, quum *ἰνός* scriberet. Neque id probari potest, quod prius *ἐν* plane aliud, id quod solum est, significare dicit, quam posterius *εἷς*, quod reddit: alter.

Multo ingeniosior, quamquam etiam non sine audacia ea mutatio loci est, quam Leonh. Bertholdtus, Professor theol. Erlangensis, suadet<sup>47)</sup>. Non enim Paulum aliud scripsisse aliud cogitasse arbitratur, sed verbum ab eo, lingua, quae tunc vulgi erat, epistolam concipiente adhibitum, ab alio, qui eam in graecum sermonem transtulerit, male lectum et perperam redditum esse.

45) Vid. ejus Specimen novae interpretationis Pauli epistolae ad Galatas III. 20. Jenae 1818.

46) Cfr. Meyeri Kritisch - exegetischer Kommentar.

47) Vid. ejus Kritisches Journal der neuesten theol. Liter. Vol. V. Solibaci 1816. pag. 337. sqq. imprimis pag. 355.

Opinatur, scriptum fuisse  $\text{וְיִצְחָק}$ , quod legerit  $\text{וְיִצְחָק}$ , pro:  $\text{וְיִצְחָק}$ , et  $\text{וְיִצְחָק}$ , participium verbi  $\text{וְיִצְחָק}$ , ebr.  $\text{וְיִצְחָק}$ ,prehendit, ver-tendum fuisse:  $\acute{o}$   $\delta\acute{\epsilon}$   $\mu\epsilon\sigma\iota\tau\eta\varsigma$   $\kappa\lambda\eta\rho\nu\nu\omicron\mu\acute{\omega}\nu$   $\omicron\upsilon\kappa$   $\eta\prime\nu$ , intercessor ille non erat heres ipse, qui rem promissam accepit, non vindicavit sibi promissionem, etiamsi deus unus sit, qui idem Abrahamo promissionem et Mosi legem dederat. Christiani sunt  $\kappa\lambda\eta\rho\nu\nu\omicron\mu\acute{o}\iota$   $\kappa\alpha\tau'$   $\acute{\epsilon}\pi\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\iota\alpha\nu$  v. 29. Moses hanc hereditatem iis non eripuit et suae legis cultoribus vindicavit.

Sed idem Bertholdtus aliam aequae ingeniosam verborum, de quibus disserimus, huic praeposuit interpretationem sine ulla mutatione. Diu sibi probabile fuisse dicit,  $\acute{\epsilon}\nu\acute{o}\varsigma$  genere neutro unum significare, id, quod unum sit, quod tamen non nobiscum ad legem, sed ad eum refert, cujus personam interpres gessit. Moses, ait, non erat interpres unius, unitatis, sed plurium, sc. populi Israelitici multos homines complectentis, quamquam deus unicus est. Sed hac explicatione missa aliam nunc probat, qua statuit,  $\acute{\epsilon}\nu\acute{o}\varsigma$  ad Abrahamum pertinere, cujus Moses intercessor non fuerit, et ita argumentatur: Quodsi Moses non erat Abrahami intercessor, non potuit sua lege foedus inter deum et Abrahamum sine sua opera et intercessione pactum tollere; manet ergo promissio rata, quod erat demonstrandum. De hac interpretatione, quae jam fuit Andr. Theoph. Fenzelii, Vratislaviensis, et Jo. Frid. Telgii<sup>48)</sup>, plura diximus in priore commentatione<sup>49)</sup>, et satis demonstrasse nobis videmur, locos veteris foederis, quibus Bertholdtus probari putat, Abrahamum esse unum vel unicum sensu eminente appellatum, vel quia diu sine liberis fuit, vel propter virtutem, qua excellebat, hoc minime efficere. Iisdem enim jam Telgius ad eandem rem probandam usus est. Ex rabbinicis quidem interpretationibus multos Abrahamum pro unico propter excellentiam suam habuisse, satis comprobavit. In verbis Jesu Sir. 44., 19., quae etiam ad suam causam defendendam affert, excellentia Abrahami laudatur, sed eum unicum dictum esse non legitur, quamquam aequalis ei nullus inventus esse dicitur. Praeterea haec expositio propterea rejicienda est, quod in toto loco, quem tractamus, Abrahamus suo nomine nuncupatur, et articulus  $\tau\omicron\upsilon\delta$  ante  $\acute{\epsilon}\nu\acute{o}\varsigma$  omitti non potuisset, si quis eminentiore sensu  $\acute{\epsilon}\acute{\iota}\varsigma$  fuisset appellatus.

48) Cfr. Neues Magazin etc. edit. ab Henkio Tom. III. scid. 2. pag. 295. sqq. et pag. 306. sqq.

49) Vid. Pottii Sylloge pag. 212. sqq. imprimis pag. 213. 214.

Similiter, sed alia explicatione Jo. Fr. Guil. Tischerus<sup>50)</sup> etiam ἐνός ad Abrahamum retulit, ita quidem, ut significari vellet πρῶτον, primum, i. e. auctorem gentis Israeliticae, non unicum. Sententiam hanc esse putat: hic interpres (Moses) non est illius Primi, Deus primus interpres est; sic duo promissio prae lege habet praecipua, alterum, quod promissio contigit Abrahamo, illi Primo, alterum vero, quod legis interpres Moses homo fuit, promissionis autem deus. Εἷς dicitur pro πρῶτος Matth. 28., 1. Marc. 16., 2. coll. v. 9. Luc. 24., 1. Jo, 20., 19. Act. 20., 7. 1. Cor. 16., 2. Apocalyps. 9., 12. Sed h. l. haec vis vocabuli altius repetita est.

Quum vero J. Fr. H. Schwabius, Vinariensis, de mira Gödöri suspicionem iudicium ferret<sup>51)</sup>, suam addidit loci interpretationem, quam postea uberius exposuit<sup>52)</sup>. Haec se ita habet: *κληρονομίαν* nemo consequi potest, nisi per *ἐπαγγελίαν*, minime vero per legem et obsequium huic praestandum. Consilium suum jam Abrahamo patefactum deus per Christum re vera exsecutus est, quum promissiones dei nulli mutationi obnoxii firmissimae sint. Is autem ei est *μεσίτης*, qui medium quid introducit vel instituit, quod interim valeat, conditionem, quae ἐν μέσῳ, interim, sit, donec talis institui possit, quae maneat; ἐν interpretatur: firmum, quod manet, nullo alio in suum locum succedente tollitur. Ergo *ἐπαγγελίαν* lege non sublatam probari existimat ex eo, quod illa per deum (v. 17.) promulgata sit, non, sicut haec, per angelos et per *μεσίτην*, qui non possit instituere nisi intermedium, quod ad tempus tantum, non in perpetuum valeat. Sed *μεσίτην* ita explicari posse, non possumus credere. Est enim is, qui μέσος ipse est, non is, qui μέσον aliquid facit.

Similis hujus interpretationi est ea, quam J. A. G. Meyerus, curator sacrorum Sarstadiensis proposuit, qui, si internuntius dicitur non esse unius, hoc intelligendum esse negat de duabus partibus paciscentibus, et ad duas res sibi oppositas, inter quas medius sit, referendum esse existimat. Mosem arbitratur medium dici inter promissionem et ejus eventum, deum autem semper esse eundem<sup>53)</sup>. Ergo legem non adversari promissioni, sed medium quoddam

50) Cfr. ejus dissertatio: Scholia in locum Gal. III. 1 — 20, Vitebergae 1802.

51) Vid. Bertholdti Kritisches Journal Vol. IX. pag. 337. sqq.

52) Cfr. Mittheilungen aus den Arbeiten mehrerer evangel. Predigervereine. Herausg. von J. Fr. H. Schwabe, Vol. IV. Fasc. 1. 1827.

53) Vid. Vierteljährige Nachrichten von Kirchen- und Schulsachen, herausg. von Brandis und Rupstein, Hannov. 1833, Fasc. 3. p. 128.



esse institutum inter hanc et ejus effectiōnem, per quam tollatur: Hanc verō vim vocabulo *μείσις* tribui posse, argumentis idoneis probari non potest.

Sed ab omnibus aliis differt explicatio Weigandi, cujus, licet limites hujus scripti ad finem properare hortentur, propter hanc causam mentionem facere liceat, quamquam probabilis nequaquam potest dici. Statuit enim Geo. H. F. Weigandus, sacrorum curator apud Batthaun. et Wöllnav. in Ducatu Sax., *ένος* legendum, idque esse adjectivum casu nominativo, atque ita transfert: *μείσις* annuus non amplius est. Pro *έστι* legi mavult *έτι*, atque loqui Paulum putat de summo sacerdote, qui quotannis adytum ingredi solebat, oblaturus alienum sanguinem (Ebr. 9., 25.), *ό θεός* vero (per Christum, quod addit) unicus est mediator, et illo annuo sublato in ejus locum Christus successit.<sup>54)</sup> Verum *ένος* vel *ένος* non est: quotannis rediens vel repetens aliquid, sed est is, qui priore anno fuit vel aliquid fecit, vetus, pristinus. Deinde *έίς* atque *ένός* nequaquam a diversis vocabulis deduci possunt, si spectas rationem, qua internuntius et deus sibi oppositi sunt. Tum nullum indicium est, ad *ό θεός* addendum esse, quod addidit: per Christum. Nec denique orationis contextus ad commemorationem summi sacerdotis nos ducit<sup>55)</sup>.

Ex quibus quum satis appareat, quantum studii, quantum eruditionis et quantum sagacitatis ingenii etiam hoc seculo adhibitum sit ad enucleandum difficillimum N. F. locum, jam indicenda nobis sunt solennia, quibus quotannis

54) *Ένος* in Pauli ad Gal. III., 20. effato haud genitivo, sed nominativo casu esse positum examinatis aliorum 243. interpretum explicationibus docere studuit G. H. F. Weigand, Erford. 1821.

55) Ceterum interpretationes aliae, quae nobis sunt cognitae, non vero ad manum, reperiuntur, Lindemanni in Henkii Museum für Religionswissenschaft, Vol. II. scid. 3. pag. 429. sqq., Vogelii in Gableri neuestem theol. Journal, 1803. Vol. XII. pag. 63—65., Wilkii in ejus Spicilegio obervatt. ad Gal. III., 20. Cizae 1814., Gurlitti in Theolog. Studien und Kritiken, 1837. Fasc. 4. et 1843. Fasc. 3. coll. 1842. Fasc. 4., ubi C. Reinhardtus de hoc loco disseruit, Naebii Diaconi apud Regiolapidenses, in dissertatione de Gal. III., 20., qua congratulatus est nuper defuncto Schleinitzio Pirnensi, Lips. 1843., Haueisenii Diaconi apud Penicenses, qua congratulatus est Türschmanno 1841., Sanderi in libello: Christus der einige Mittler, Barme 1840., Heringii in Journal für Prediger, 1829. pag. 159. sqq., Kellers in Tübinger Zeitschrift für Theol., herausg. von Stuedel 1830. Fasc. 3. pag. 129—156., Kernii ibid. pag. 157—169. et aliorum in Theologische Nachrichten, 1809. pag. 381., 1811. pag. 380. atque 1818. pag. 181., ubi non male locus Ebr. 3., 2—6. comparatur, in quo similis sententia inest.

memoriam Rudolphi Ferdinandi Liberi Baronis a Sylverstain et Pilnickau, singulari beneficentia de nostro Gymnasio meritissimi, pie recolimus, crastino die concelebranda, ita quidem, ut primum ipsi doceamus, quae officia grati animi literarum studiosi iis debeant, a quibus beneficiis ornati sunt.

Deinde tres prodibunt juvenes beneficii Sylverstainiani participes.

Carolus Ludovicus Fridericus Kreis, Sprottaviensis, primae classis civis, verba faciet de commodis, quae Christianae religioni pararunt insectationes.

Joannes Reinholdus Conrad, Gorlicensis, secundae classi adscriptus, disseret de bonis malisque per inventam Americam humanae societati partis, et

Ernestus Paulus Reinholdus Mende, Pribusio-Saganus, ejusdem classis civis, demonstrabit, ignorantiam futuri temporis nobis utilem esse.

Omnes orationes agemus sermone patrio, gratiamque habebimus omnibus Gymnasii fautoribus, qui solennia sua praesentia ornare voluerint.

P. P. die XVII. Junii MDCCCLI.

---

### E m e n d a n d u m :

In programme, quo priore anno haec solennia indiximus, vitio typographi pag. 22. linea postrema legitur MDCCCXL. pro MDCCCL.

---

memoriam Rudolphi  
et Pilnickau, singula  
recolimus, crastino die  
quae officia grati  
quibus beneficiis or

Deinde tres prodibu

Carolus Ludov  
classis civis, verba faciet  
pararunt insectati

Joannes Rein  
scriptus, disseret de bo  
manae societati pa

Ernestus Paul  
dem classis civis, demo  
utilem esse.

Omnes orationes  
bus Gymnasii fautoribus

P. P. die XVII. J

In programme,  
graphi pag. 22. linea po

© The Tiffen Company, 2007

**TIFFEN** Gray Scale



Silverstein  
ritissimi, pie  
si doceamus,  
bebeant, a

eipes.

ensis, primae  
e religioni

dae classi ad  
ericam hu

aganus, ejus  
oris nobis

ebimus omni  
nerint.

is, vitio typo  
L.